

Zb  
5584





FR. 57. (2)

in memoriam Martini Hasenii, Prof. Morarium  
Viteberg.



RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**GEORGIVS**  
**A V G V S T V S**  
**L A N G G V T H**

PHILOSOPH ET MEDIC DOCTOR  
ANATOM ET BOTANIC PROF PVBL  
ORDINARIUS FACULT MEDICAE  
ASSESSOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D



*curi. oratione. iudiciale. iuris. iuris. iuris.*

**D**octorem, haud mediocrem, Philosophiae ciuilis aetati nostrae praefitit MARTINVS HASSENIUS, eamque hominum eruditorum de se opinionem, ipsa docendi elegantia, comprobauit

Duo sunt genera moralem ciuilemque prudentiam tradendi, quorum utrumque etsi praecepta desiderat, alterum tamen scholae, alterum uitae, magis inferuit. Ac scholae quidem deferuntur, cum uerum, quod in quaque re proposita inest, ex cauissis exquiritur, cum, definiendo diuidendoque, cognitio rerum, ac descriptio in partes, constituitur, cum alia, ne fint obscura, explanantur, alia, ne confusa, distinguuntur, alia, ne sine limite modoque, temperantur. Nam docendi multiplex adhibetur opera, sed omnis eo confertur, ut, quae discenda cognoscendaque sunt, omni ex parte perspiciantur, nauiter explorata. At uitae consulit haec doctrina, quae in subtilitate differendi haud acquiescit, sed usum uitae respicit, ad eumque accommodat illa, in schola quae traduntur. Haec enim est praecipua discendi cauissa, ut eis ad instruendam iuandamque uitam utamur, quae accepimus a magistris, et, illorum, quae deinceps fuerint agenda, cognitione praeceptis comparata, ipsam uitae degendae rationem meliorem expeditioremque reddamus. Est autem haec praeceptio multo, quam prior ista, facilior, longeque utilior. Asumit enim ea tantummodo, quae uitae recipiat usus, sed repudiatur alia, quae ab illo abhorreant. Hoc autem loco multa forent in utramque partem dicenda, si quidem antiquas Sapientum familias, earumque morem, persequi statueremus, ut, alios, animaduerteremus, scholae potius, quam uitae, rationem habuisse, alios contra fecisse, quam soleant isti. Sed, breuitatis cauissa, duarum cumparatione disciplinarum erimus contenti. Isti enim, qui differunt cum Aristotele in Lyceo, scientiae student in primis, at, qui cum Zenone in Porticu, scientiae praferunt usum uitae. Ita quidem Seneca Lucilium docet, id est, omnes, qui rectius philosophari cupiant, iudicio arbitrioque suo. Ipse tamen L: hic Annaeus, cum Stoicos affectetur, horum de sententia plura pronuntiat, admirabilia potius, quam in usu uitae posita. At M: Cicero multa quidem haurit ex fontibus Stoicorum, haud tamen omnia, et suum sibi ius seruat

seruat integrum, liberumque delectum. Hunc, si placet, cum Aristotele conferamus. Patres hi duo doctissimi filios docent, ad quos scribunt, Graecus Nicomachum suum, Latinus autem Marcum suum. Sed Aristoteles quanta subtilitate cuncta exigit ad uerum, quanta cura diligentiaque notiones affines discernit, complicatas euoluit, proprias enucleat. Contra ea, Cicero haud ignorat quidem illam, cum ueritas ipsa limatur in disputatione, subtilitatem, ut ipse loquitur, sed, in tradendis officiis, orationem, mauult, ad opinionem communem accommodare. Ab Stoicis, quibus multum tribuit, duplarem, nouit, officii diuisionem tradi, alterumque officium perfectum dici, alterum medium. ac perfectum quidem nominari rectum, quod per se excellat, medium autem hoc uocari, quod cur factum sit, ratio tantum probabilis reddi possit. sed perfectum illud absolutumque officium, quod omnes numeros habeat, praeter Sapientem, cadere in neminem. honestum item tradi, quod proprie uereque dicatur, at hoc in sapientibus esse solis, neque a uirtute diuelli unquam posse. sed in hominibus, in quibus sapientia perfecta non sit, illud ipsum quidem perfectum honestum esse nullo modo, similitudinem modo honesti esse posse. Ergo consularis hic philosophus, et officium illud rectum perfectumque, et honestum, proprie uereque dictum, unde officium rectum dicitur, in sola mente sapientis Stoici collocat. At uero officia, quae media Stoici, et quasi secunda quaedam honesta, dicunt, ea, ostendit idem Cicero, communia esse, et late patere, quae et ingenii bonitate multi assequantur, et progressione discendi. cum autem aliquid actum sit, in quo media officia compareant, id cumulate uideri perfectum, in uita quidem communi, ad opinionem uulgi. ita his omnes, in quibus sit uirtutis indeoles, commoueri. nec uero, cum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes uiri commimoremur, aut cum Fabricius Aristides iusti nominentur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his iustitiae, tanquam a sapientibus, peti exemplum. neminem enim horum sic sapientem fuisse, ut, sapientem, uelit, intellegi. nec uero eos, qui, sapientes habiti et nominati sunt, M<sup>·</sup> Catonem et Laelium, sapientes fuisse, ne illos quidem septem. sed, ex mediorum officiorum frequen-

tia similitudinem quandam gessisse speciemque sapientum. Distinguit igitur honestum id, quod uere honestum sit, ab eo, quod communiter appelleatur honestum, et colatur ab iis, qui, bonos se uiros haberi, uelint. Hoc dicit honestum, quod in nostram intelligentiam cadat, illud, quod proprie uereque sit honestum, utrumque uero tuendum esse, atque conseruandum. aliter enim teneri non posse, si qua sit ad uirtutem facta progressio. Sed, haec quidem de illis, uult, intelligi, qui, conseruatione officiorum, existimantur boni. Ergo, neque repraesentat, ut imitandam, neque a Marco suo exigit, perfectionem Sapientis Stoici, quem, scit, inter homines non uersari, sed hoc uirtutis et officii studium praecipit, quod boni uiri existimationem, in uita humana, conciliet, recteque faciendo conseruet. Ita uero, in tradendis officiis, non acumen Scholae, sed uitae ciuilis usum, sectatur. Aliter ergo a patre suo, Aristotele, didicit Nicomachus, si quidem de eo iudices ex Nicomacheis. Haud igitur admirandum est, si postero tempore Aristoteles in scholis Ethicis plus ualuit, quam Cicero. Illius enim acumen ingeniorum contentiosorum aemulationem alere potuit, huius grauitas semouit id omne, quod minus ad institutionem uitae communis adiuuaret. Ad usum autem uitae refert Ambrosius, quae docet. Itaque, non Aristotelem sumit uitae magistrum, sed M. Tullium, ex eoque, in suos Officiorum libros, multa transfert, sed emendans simul. Quapropter hic error doctrinae inueteratus prudentia corrigendus erat, et eis, qui uitae potius, quam Scholae, uellent disce-re, elegantioris praefertim eruditionis, ac fortunae lau-tioris, hominibus, Cicero potius erat, quam Aristoteles, euoluendus, et, cum perpetua uetus publici meditatio-ne, uersandus. Sed, quoniam Cicero id statutum non habet, ut filium in fastigium Stoici Sapientis efferat, hunc ea studet imbuere modestia, ut is moderate aliis utatur, seque, reminiscatur, non uiuere cum perfectis hominibus, pleneque sapientibus, sed cum eis, in quibus, praeclare agatur, si sint simulacra uirtutis. ob eam autem caussam neminem omnino esse negligendum, in quo sit aliqua significatio uirtutis, colendum esse ita quemque maxime, ut quisque maxime his uirtutibus lenioribus sit ornatus, modestia, temperantia, iustitia.

Haec

Haec uero conueniunt in hominum uitam, haec, decet,  
in ea fieri, ob eamque rem in primis tradi

Quam quidem philosophandi rationem Socrates  
de coelo deuocasse dicitur, ut, ea uoce, praeclarum eius  
consilium atque institutum laudetur. Aliorum enim,  
qui scire, quam agere, satius ducebant, contemplationi  
fidera coelestesque orbēs, atque horum conuersiones,  
reliquit, ipse uero motus animorum, mores hominum,  
consilia, deliberationes de rebus expetendis atque fu-  
giendis, scrutatus est, et, quid ab eis fiat in utramque  
partem, studiose considerauit. Sic hominum uitam  
multis opinionum erroribus, ac uitiis, liberauit, eos ad  
sentiendum melius agendumque instituit, tantoque ma-  
gis eos emendauit, quanto prudentiores eosdem, in mo-  
ribus actionibusque, fecit. Imitati eum sunt alii, qui  
ore Socratico defluxerunt, Plato maxime, qui tamen  
Ideis suis non nulla, ipsamque interdum hominum ui-  
tam ingenii fiducia, corrupit

Sed multis aetatum spatiis Philosophos anteiuierunt  
Poetae, qui tamen ipsi Sapientes antiquissimi fuerunt.  
Hi, nullum sapientiae genus est, quod non attigerint,  
maxime tamen illam philosophiae partem, quae agen-  
do conficitur, excoluerunt. Fabulis autem, ut facilio-  
rem iucundioresque aditum ad multitudinem habe-  
rent, usi sunt, et Allegorias finxerunt, sed haec ingenio-  
se inuenta ad expoliendam uiuendi disciplinam contulerunt.  
Datur huius ingenii palma, magna antiquitatis  
confessione, Homero, cuius Ilias fortitudinis, Odyssea  
prudentiae, exemplar est. Marmor autem uetus, quo  
Poeta consecratur, Virtutem ei tribuit, quam uiri docti,  
et priscae sapientiae, merito in agendo, et prudentia  
uitae degendae, ponunt. Hanc docendi praefstantiam  
Horatio lectio Homeri Praenestina ostendit, eundem-  
que ex Homero plura docuit, ac potiora, quam philo-  
sophi complures atque eximii possint. Hinc, in utram-  
que partem, illae descriptiones uirtutum ac uitiorum  
Homericae, tot exemplis illustribus inuolutae, quas Dio  
Chrysostomus, et tot alii, exponunt. Itaque in Home-  
ro quondam pueritia tirocinium posuit, aetas uirilis, ac  
potius omnis, habuit in eo consilii principem, uitae du-  
cem, uti uerius Homerici testantur, quos Imperatores,  
Reges, uiri clari, habuerunt in ore. Sino Graecos, de-

quibus nemo dubitaret, etiamsi dicta Poetarum, uitae utilia, Stobaeus non retulisset. Sed Augusti, Caesaris, Philosophia heroica, praeter Homerum, fuit Aeneis Virgiliana, Homericae laudis aemula. Huius uoces, ab illo saepius recitatas, quis ignorat

Quantum igitur ex duobus his Philosophiae ciuilis tradendae generibus alterum, uitae addictum, praestat, tantum Hassennii laudandum est consilium, quo genus ille posterius est amplexus, semperque tenuit. Perpetuo enim in eo elaborauit, ut, quos, in disciplinam traditos, haberet, eos non modo doctos, sed bonos etiam, redderet, atque instructos ad bene beateque uiuentium, quoad res humanae ferrent

Duo sunt autem uitae tempora, unum publicae, alterum priuatae. Ac uita quidem publica uersatur in luce reipublicae, de summaque rerum, de negotiis magnis, et pertinentibus ad communem utilitatem, consultat. Hic non solum, utrum honestum, an turpe, sit, deliberatur, sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius, itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius, dubitatur. Itaque, quam Panaetius triplicem putauit esse rationem, in quinque partes distribui, reputatur. Sic Cicero Marcum suum instituit, et Graecos, horumque diuisionem, accuratiore iudicio corrigit. Eam enim doctrinam tribus libris de officiis explicat, et copiose de ea neruoseque disputat. Primum enim de honesto, sed dupliciter, tum pari ratione de utili, post de comparatione eorum, differit

Priuata autem uita res priuatas complectitur, domesticis non exclusis. Sic opera datur, ne quid officio uacet, siue tecum agas quid, siue cum altero contrahas, in eoque officio colendo sita est uitae honestas omnis, et in negligendo turpitudo, ut Cicero praecepit Marco suo. Atque hanc quidem quaestione, offendit, communem esse omnium philosophorum. sed, depravatis, per nonnullarum errores disciplinarum, finibus bonorum malorumque, fieri, ut officium omne perturatur. itaque curam esse adhibendam, ut, habito rerum delectu, ad officii inuentionem aditus relinquatur. Stoicos autem, hac in quaestione, potissimum sequitur, quos uitae, supra diximus, rationem habere

Ad utrumque genus uitae, tum publicae, tum priuatae, sua Hasseniuss praecepta composuit, quibus, in omnes partes, usus uitae conformetur. Ac uitae quidem publicae magna semper parataque adiumenta habuit in iure belli ac pacis, in doctrina quoque ciuili, quorum tractationem studiorum cum scientia morali copulare solitus est. Hinc crebrae illius, in publicis priuatisque scholis, uel explanationes, quibus explicati, uel disputationes, quibus excusfi, sunt multorum commentarii, Grotiani maxime, ac Pufendorffiani. Horum enim ille doctrinas

aliiis

aliis praeferebat, quod, eas uitæ publicae, iudicabat, plurimum emolumenti afferre. Nec uero minus operaे potuit in cunctis uitæ priuatae partibus nauiter instruendis, ut omne gêns officiorum, a fontibus ductum, latissime manaret ad omnes, bonis moribus, certaque uitendi disciplina, imbuendos. Quantum satis est fidei, fecerit amplum illud opus, ac uaria elegantique doctrina refertum, quod Synopsis inscribitur scientiae, de prudentia morali uniuersa. Multa compareret in eo diligentia feligendi optima apteque disponendi, et plane distincteque explicandi, multis quoque labor flores doctrinae et exemplorum pulcherimos, alienis ex hortis ingeniorum, colligendi, facta simul eorum mentione, qui singulas rerum materias persecuti sint.

Haec utriusque uitæ subsidia quis melius cognouerit, quam homo, Graece Latineque doctus, id est, ille, qui ueteres omnis scientiae thesauros excutiat, domestica in penu. Multos tamen, praeclarosque libros nostra, scimus, acetate diuulgari, de moribus, de rep. omnique elegancia uitæ. Sed hi scribuntur eo plerumque sermone, quem recentior aetas solet usurpare. Neque enim idem iam, quod apud maiores nostros, sermonis Latini studium uiget, cum minus elegans, eruditioribus certe minus decorum, censeretur, quod Latinum non esset. Exarsit deinde, pluribus in populis, cupiditas quaedam, ante id tempus insolita, linguae patriæ ita polienda, ut, quae trita esset ciuibus, ea res ederentur, literis mandandæ. Haec legere scripta, ex his proficere, qui aueat, is quidem, necesse est, linguas hodiernas calleat. Eas uero multas Hasseniæ, ac florentiores, ita tenebat, ut par esset non secus in facultate loquendi, quam scribendi. Itaque Gallica, Italica, Hispanica etiam ac Britannica, præclare intelligebat, ex his multa decerpebat, multa in Latinum Germanicumque conuertebat, horumque plura sunt adhuc in manibus, et cupide leguntur.

Tam instructa complurium linguarum cognitio illustribus eum uiris, quibus cognitus esse coepit, magnis quoque Principum Aulis, commendauit, maiorem in modum. In primis Berolini hospitio acceptus est a Legato Ruthenico, ab eoque liberaliter habitus, in epistolis mandatisque, Gallice curandis. Ab eo saepius Dresenam missus, tantam apud plures, ac splendidiores, Aulae Proceres init gratiam, ut, ab his REGI commendatus, eodem denique literis euocaretur. Huc ut uenit, sua linguârum, in Europæ negotiis uigentium, scientia efficit, ut eius opera adhiberetur plures ad res, externo sermonè conficiendas. Eandum ob caussam in Poloniæ saepe, cum Regio comitatu, ire iussus est, et diutius Varsauiae commoratus

Vidit ergo Aulas, et plura earum grauioraque negotia, quorum partem sibi mandatam habuit, expertus est. Facultatem habuit Purpuratorum comitatem, affabilitatem, elegantiam omnem, noscendi. Ante oculos habuit administrationem rerum, a summis prudentissimisque uiris suscepit, et optime gestam. Cognoscere potuit, quid in sanctioribus Principum consiliis agitaretur, quoque modo. Audire potuit et propinquo, qua sententiâ uarietate, quo rationum pondere, qua consilii grauitate et constantia, caussæ ac deliberationes publicæ, in ipsis Regni Comitis Varsauiensibus, tractarentur. In tanta populi, undique congregati, frequentia, ei licuit uersari cum multis peregrinorum gentium hominibus nobilissimis, ac prudentia claris. Quæ quidem res magnam sane uim habent ad pragmaticam doctrinae exercitationem, uel comparandam, uel augendam. Optare autem solitus est

illud

illud aetatis degendae genus, quod sibi quondam iuueni, semperque postea, iucundissimum fuisset. Itaque, prouidentia Dei, cui se totum perpetuo tradiderat, et munificentia Regis, Philosophiae ciuilis, apud nos profitenda, munus publicum cepit. Sic ad meliorem discentium utilitatem potuit afferre, quod, multa rerum ciuilium obseruatione, perceptum habebat.

Nec uero latuit haec eius virtus, sed eniuit subito, illumque quotidie magis ac magis illuftravit. Complures enim, discendi cupidos, ingenii, industriae, fidei, admiratione traxit, et discipulorum conuentu studioque floruit. Multos eriam, nobili praesertim loco natos, accepit in disciplinam, hos, ad uifum uitae eruditos, non modo doctrina pragmatica imbuuit, sed scribendi etiam exercitatione praecolluit, ac subegrit. His enim uaria, lectaue, exempla scriptorum, quae publice, ex omni genere, conficienda forent, proposuit, hos, scriptis eisdem, commode ac scienter, Germanica maxime et Gallica, sed alia quoque, lingua elaborandis, exercuit, multisque eos modis alius, ad partes, in reipublicae negotiis aliquando capessendas, exercitatores fecit. Quibus rebus euenerit, ut prodirent ex eius schola non pauci, iam preeparati ad dignitates ciuiles, easque breui capesserent, et multa deinceps laude sustinerent.

Natum, si quaeris, Branderodae in Turingis, Numburgum, Altemburgum, Leucopetra, tirociniis doctrinae liberalis erudiit, sed altiore eum scientia, et uaria exquisitaque, Iena, ac Lipsia, instruxit.

Habes iam hominem, non de schola, sed ad munus moralis ciuilis que facultatis explananda, ipso uitae cultioris usu, excultum. Plura quidem proferre possemus testimonia, laudis, hoc in uiro spectatae, sed hoc, quod dedimus in praesenti, satis esse uidetur, quoniam signum est neque obscurum, neque dubium, Professoris, in Philosophia ciuili, Spartam ornantis, quam nactus fuerit. Talem enim nunc inuenisse videamus, quemlibet initio quaerebamus. Dignus ergo fuit illa Regis gratia, quae multis eum beneficiis affectit, ipsa etiam dignitate Aulici Consiliarii auxit. Alia, hoc de uiro commemoranda, qui requirit, eum delegamus ad commentarium, quem suis de rebus ipse composuit. Adduci tamen non possumus, ut omitamus id, quod hic idem, in eo commenario suo, multa sibi contentione, ac religiosius, exposcit. Hunc enim, qui scribat de se mortuo, obtestatur, ut suis in rebus fortunae varietatem animaduertat, et nomine suo admirabilem Dei benignitatem, qua superata fuerit ista calamitas, praedicet, Deoque gratias immortales agat. Quod quidem nos lubentes, tantaque iam cum reverentia facimus, ut Prudentiam diuinam, quae rebus eius praefuit, summe ueneremur. Illud autem constat inter omnes, quanta Deum sanctitate, publice priuatimque, coluerit, quanta uitam modestia, temperantia, grauitate, traduxerit. Hoc denique nemini non optandum fuerit, ut ea pietate fidei, in Seruatorе hominum defixa, ea etiam aequitate animi atque constantia, supremum quisque diem obeat, qua nuper ille, V Eid. Februarias, Vitembergae decepit. Quo iucundior ergo fuit familiae, discipulis, amicis, collegis, bonis omnibus, eius uita, eo minus est mirandum, si mors eius his cunctis est acerba. P. P. VIII Eidus

Martias, A. Salutis 110 12 CC L

---

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

✓

lgu 26 5524, FR



vP78





F.R.57.(u) *In memoriam Martini Hasenii, Prof. Moralem*



RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

GEORGIVS  
G V S T V S  
NGGVTH

PH. ET MEDIC DOCTOR  
ET BOTANIC PROF PVBL  
NARIUS FACVLT MEDICAE  
ASSESSOR

BVS ACADEMICIS

S. P. D.

